

## De aliquot fragmentis Tragicorum Latinorum.

---

E n n i i.

In *Andromeda* fr. 6:

Rursus prorsus reciprocatur fluctus fera.

Loquitur Ennius de ingenti illa bellua marina, quam Ammon Andromedae immiserat: scribendum autem est:

Rursus prorsus reciprocatur fluctus *fera*.

Tanto enim illa impetu advehebatur, ut maris undas funditus conturbaret. Ovidius *Metamorph.* IV, 687 ubi hanc ipsam fabulam tractat, ita de hoc monstro loquitur:

Et nondum memoratis omnibus, unda

Insonuit, veniensque immenso bellua ponto

Eminet, et latum sub pectore possidet aequor.

et v. 705:

Ecce velut navis praefixo concita rostro

Sulcat aquas, juvenum sudantibus acta lacertis,

Sic fera dimotis impulsu pectoris undis

Tantum aberat scopulis —

Et de simili bellua similiter Valerius Flaccus II, 498:

Sigeaque pestis Adglomerare fretum.

*Andromeda* fr. 3:

Alia fluctus differt, dissipat

Visceratim membra, maria salsa spumant sanguine.  
 Scripsit, ut opinor, poeta

*Maria salso spumant sanguine.*

Salsum enim sanguinem appellat recens profusum. Ita Cresphonte fr. 6 dixit:

    Neque terram injicere, neque cruenta convestire corpora

    Mihi licuit, nec miserae lavere lacrumae salsum sanguinem.

Attius in Epinausimache fr. 9:

    Et Scamandriam undam salso sanctam obtexi sanguine,

    Atque acervos alta in amni explevi hostico.

Pacuvius in Iliona (apud Ciceron. Quaest. Tusc. I, 16) ad hujus enim tragici istam fabulam referendum esse hoc fragmentum alias monstrabo:

    Unde animae excitantur obscura umbra, aperto ostio

    Alti Acheruntis, salso sanguine, mortuorum imagines.

Salsum enim sanguinem vocat cruorem recentem victimarum, quo animae ab inferis excitabantur.

*Medeae* fragmentum legitur apud Nonium v. efferre: Utinam ne unquam Medea Colchis cupido corde pedem extulisses. Bothius existimat Nonium haec errore ex primis prologi verbis conformasse:

    Utinam ne in nemore Pelio securibus —

    Nam nunquam hera errans mea domo efferret pedem

    Medea, animo acgra, amore saevo saucia.

Verum illa sunt chori verba, metro choriambico scripta; ita autem digerenda sunt:

    Utinam ne unquam

    Medea Colchis cupido corde pedem extulisses.

Compares Euripidem in *Medea* v. 451:

    Σὺ δ' ἐκ μὲν οἴκων πατρώων ἔπλευσας

    Μαινομένην καρδίᾳ διδύμους ὀρίσασα πόντον

    Πέτρας.

*Melanippa* fr. 2:

    Mi ausculta, nate, pueros cremari jube.

Minime probari possunt ea, quae Bothius de hoc loco scripsit: versus ita emendandus videtur:

Mi ausculta, *nata*, pueros cremari jube.

Numeri autem sunt cretici. Melanippae autem haec dicit pater, pueros, quos filia pepererat et in stabulo boum exposuerat, monstra esse arbitratus. Dionys. Halicar. Art. Rhetoric. p. 103 cum dixisset: *Ἡ δὲ Μελανίππη ἐπαιδεύθη μὲν ὑπὸ τοῦ Ποσειδῶνος· γέγονε δὲ ταύτῃ παιδίᾳ· ἐξέθρηκε δὲ αὐτὰ εἰς τὰ τοῦ πατρὸς βουφύρβια.* haec profert: *Ὁ δὲ πατὴρ ἡγεῖται ἐκ βοῶς εἶναι, καὶ ὡς τέρας βούλεται κατακαῦσαι.*

Solebant autem veteres quaecunque monstruosa erant, igni comburere. Ita Tiresias Alcmenae praecipit, ut dracones illos monstrosos, quos Juno Herculi infanti immiserat, comburat: apud Theocrit. XXIV, 86. *Ἀλλὰ, γύναι, πῦρ μὲν τοι* etc. Quocum componatur Phrynichus in Bekk. Anecd. T. I, p. 10, 26: *Ἀγρίοις κατακαῦσαι ξύλοις· τὰ τερατώδη τὴν φύσιν ἐπ' ἀγρίοις ἔκαιον ξύλοις.* Ex patris oratione, qua declarat monstra esse illos infantes, petitum est etiam fr. 3 hujus fabulae:

Certum hic est nullum *dubium*, quin monstrum siet:

Hoc ego tibi dico et conjectura auguro.

Ita enim legendum videtur. Deos quoque exorabat, ut bene feliciterque ista res verteret regno suo, fr. 1:

Regnum nostrum sospitent

Superstitentque.

Idem igitur Ennius tractaverat argumentum, quod Euripides in Melanippa philosophante. Sed fr. 4. et 5. fabulae Ennianaevix conveniunt isti argumento. Videtur autem mihi Ennius etiam alteram Euripidis fabulam, Melanippam vinctam in latinum sermonem transtulisse. Nam fr. 4

Cum saxum scisciderit.

videtur de Melanippa intelligendum esse liberata a filiis custodia: eam enim pater, cum comperisset istos infantes fi-

liae esse, saxo incluserat. Hygin. F. 186: »Melanippam excaecavit et in munimento conclusit, cui cibum atque potum exiguum praestari jussit: infantes autem feris projici: — qui ad Desmontem pervenerunt, eumque interfecerunt, et matrem custodia liberant, cui Neptunus lumen restituit.« Melanippa oculorum acie recuperata aegre solis splendorem tolerans dicere videtur illud (fr. 5):

Lumine sic tremulo terra et cava coerulea candent.

Duas igitur fabulas ejusdem nominis scripsit Ennius: nam quis crediderit poetam diversissima argumenta in unum quasi conglutinavisse?

Ad *Phoenicem* referendum censeo illud fragmentum, quod legitur apud Ciceronem Oratore c. 46:

Neque tuum unquam in gremium extollas liberorum ex  
te genus.

Sunt enim haec dirae illae, quas imprecatur Amyntor Phoenici. Plane ita apud Homerum Il. IX, 453—457 ipse Phoenix hanc rem narrat. Ubi observandum illud γούνασιν οἴσιν. Ennius enim, sive potius graecus tragicus quem secutus est (Euripidem fuisse credo) γούνασιν οἴσιν accepit dictum esse pro ἐμοῖσιν.

*Telamone* fr. 2:

Nam ita mihi Telamonis patris atque facies proavi Jovis  
Gratia ea est, atque hoc lumen candidum claret mihi.

Quae Grotius ita corrigenda esse existimavit:

Nam ita mihi Telamonis patris facies ac proavi Jovis  
Gratia grata est, atque hoc lumen candidum claret mihi.

Sed prior versus ita omnino emendandus est:

Nam ita mihi Telamonis patris, *avi Aeaci*, et proavi Jovis.  
Teucer enim similiter de progeie sua gloriatur, ut Ajax frater apud Ovidium Metam. XIII, 23—30.

*Telamone* fr. 4:

Deum me incedit facere pietas, civium porcet pudor.

*Incendit* primus correxit Lipsius pro librorum lectione: sensit: mihi vero aptius videtur, si versus ita corrigatur:

Deum me *sancit* facere pietas: civium porcet pudor.  
Telamo enim dubius inopsque consilii est, utrum Teu-  
crum filium patriis finibus expellat, nec ne: ira propter Aja-  
cis mortem concepta, stimulat eum, ut poenam legibus di-  
vinis sanctam repetat, sed simul veretur, ne civium animos  
offendat, si tam crudeliter in filium consulat.

N a e v i i.

In *Danae* fr. 5:

Quam quondam fulmine icit Juppiter.

Ita, ut conjicio, versus est redintegrandus:

*Semela*, quam quondam fulmine icit Juppiter.

Probabile est enim cum *Danae* comparatam esse *Semelen*,  
quae cum ipsa quoque a Jove esset amata, non minus tri-  
stem atque infelicem amoris experta erat, quam *Danae*.

*Danae* fr. 6:

Animi jubeo fonte lavere nemini

Manum.

Longe corruptissimum fragmentum: neque quae Bothius  
de eo dixit, cuiquam poterunt probari. Quod si licet con-  
jecturam incertam illam quidem, non tamen prorsus tragico  
indignam periclitari, legerim:

Jubeo *te* fonte lavere *nemini*s manum.

vel Te jubeo fonte. Delas *animi*, quod vix dubito, quin ex  
sequente *nemini* sive ut vulgo legitur *memini* ortum sit.  
Revocat mihi hoc in memoriam versum Plauti *Mil. Glor.*  
II, 4, 2 ubi *memini* non dissimili modo corruptum est, sed  
adhuc tam patienter toleratum est, ut nemo animadverterit,  
quam sit ineptum:

Pa. At metuo, ut satis sis subdola. Ph. Cedo vel  
doctum, edocebo.

Memini malas, ut sint malae.

At vero scripserat Plautus:

*Ego vel decem docebo*

*Minime* malas, ut sint malae.

Sed ut ad Naevium revertar, pronomen *nemo* casu genitivo dixit etiam Ennius in Erechtheo fr. 3:

Lapideo sunt corde multi, quos non miseret neminis.

Cf. etiam Nonius v. Neminis.

Haec autem sunt verba Acrisii, Danaen filiam in exilium pellentis, atque aqua et igui ei interdicentis. Compares Aeschylum in Choephoris v. 285:

*Καὶ τοῖς τοιούτοις οὔτε κρατῆρος μέρος*

*εἶναι μετασχεῖν, οὐ φιλοσπόνδου λιβός,*

*Βωμῶν τ' ἀπειργεῖν οὐχ ὀρωμένην πατρὸς*

*Μῆνιν· δέχεσθαι δ', οὔτε συλλοῦειν τινά.*

et Sophocl. Oed. Reg. 237--45.

Acrisium autem in fabula Naeviana Danaen in exilium projecisse satis docet fr. 4. ubi ipsa Danae ita loquitur:

Indigne exigor patria innocens.

*Lycurgo* fr. 14:

Pergite, thysigeræ Bacchæ modo Bacchico cum schemate.

Versum trochaicum esse credit Vossius: rectius Bothius ex dactylis atque trochæis constare dicit: nisi forte poeta ita scripsit:

Pergite, thysigeræ Bacchæ, modo *Bacchiaco* cum schemate.

*Lycurgo* fr. 16:

Sine ferro pecua manibus ut ad mortem meant.

Nolo permira illa commemorare, quæ Bothius de hoc versu scripsit. Transposito uno vocabulo lego:

Sine ferro *manibus* pecua ut ad mortem meant.

Coniungendum enim est *manibus sine ferro* i. e. *χερσὶν ἀσιδήροις*. Narrat autem aliquis, se vidisse, ut Bacchæ ho-

ves manibus inermibus discerpserint. Cf. Euripides in Bacchis  
v. 733 -- 740.

## P a c u v i i.

*Armorum Judicio* fr. 4:

Quod ego inaudivi accipite, et quid sit factu opus, de-  
cernite.

Cum hoc fragmento conjungendum puto aliud (14 ed.  
Both.) hoc modo:

A. Nilne ad te de iudicio armum accidit?

B. Quod ego inaudivi accipite et quid sit factu opus,  
decernite.

Chorus, ut videtur, quaerit ex aliquo, fortasse nuntio,  
quis iudicii de armis Achillis fuerit exitus; cui ille respon-  
det, se id, quod compertum habeat, expositurum esse, ut  
quid faciendum sit, decerni possit.

*Duloreste* fr. 15:

Quid? quondam et mihi piget paternum nomen, ma-  
ternum pudet

Profari.

Scribendum videtur:

Quid *quod* et mihi

Piget paternum nomen, maternum pudet

Profari?

Neque vero, quod Bothius vult, Orestis haec sunt verba,  
neque enim is potuit dicere se poenitere, patris nomen me-  
morare: imo ei matris nomen maxime detestabile fuit: sed  
Iphigenia cum ex hospite ignoto quaereret, quibus parentibus  
prognatus esset, ille vero dixisset se prae pudore parentum  
nomina eloqui non posse: (Cf. Euripid. Iphig. Taur. 484:

ΙΦ. Σοὶ δ' ὄνομα ποῖον ἔθεθ' ὁ γεννήσας πατήρ;

ΟΡ. Τὸ μὲν δίκαιον, δυστυχεῖς καλοῖμεθ' ἂν.

ΙΦ. Οὐ τοῦτ' ἐρωτῶ· τοῦτο μὲν δὸς τῆ τύχῃ.

OP. Ἀνώνυμοι θανόντες οὐ γελῶμεθ' ἄν.

IO. Τί δὴ φρονεῖς τοῦτ', ἢ φρονεῖς οὕτω μέγα;

OP. Τὸ σῶμα θύσεις τοῦμόν, οὐχὶ τοῦνομα.)

illa mirata illius sortem, dicit: Quid quod et mihi

Piget paternum nomen, maternum pudet

Profari.

Patrem enim oderat Iphigenia, quod Aulide Dianae victimam oblata erat.

*Duloreste* fr. 15 :

Ubi illic est? me miseram, quam clamor eliminat!

Pro *clamor* alio Nonii loco p. 38 legitur *clam clam*: quod a vero propius abesse existimo: ita enim Pacuvius scripsisse videtur:

Ubi illic est? Me miseram, *quonam clanculum* se eliminat? Dixerit haec Iphigenia de Oreste. Et *quonam* ipso illo Nonii loco legitur; in altero autem p. 292 *quoniam*. *Se eliminat* ut Varro posteriore Nonii loco: Occipitium arivo deo ostendo, ex oraculo elimino me. Attius Phoenissis fr. 4:

Egredere, exi, effer te elimina urbe.

nam ibi *te* tam ad effer, quam ad elimina referendum est. Ennius Medea fr. 2 :

Antiqua herilis fida custos corporis

Quid sic extra aedes exanima te eliminas?

*Medo* fr. 1 :

Quid tandem? ubi ea est, quod receptat? exul incerta vagat.

Bothii conjectura: quo receptat exul? incertan' vagat? probari non potest. Scribendum est:

A. Quid tandem? ubi ea est? *quo receptast?* B. Exul *incerte* vagat.

Sciscitatur aliquis ubi Medea nunc versetur, cujusque hospitio utatur. Cui alter respondet exulem, certa sede carentem vagari. Pro *receptast* possis etiam *receptata* scribere. *Incerte* dixit Ennius Iphigenia fr. 4 :

Incerte errat animus, praeterpropter vita vivitur.

Pacuvius Periboea fr. 11:

Triplici pertimefactus moerore animi incerte errans vagat.  
Ita scribendum censeo.

*Medo* fr. 17:

Accessi ad eam, et tonsillam pegi laeto in littore.

Bothius conjicit: accessi ad terram: codices *Access eam* praebent. Scripserat Pacuvius:

Accessi *Aeam*, et tonsillam pegi *lecto* in littore.

Aea urbs vel terra Colchorum intelligenda est: dixerit autem haec verba Medus, qui matrem toto terrarum orbe investigaturus, etiam Aeam pervenit: quam postquam agnovit, avum Aetem in regnum restituit. Cf. Valerius Flaccus V, 687:

Donec et Aetem inopis post longa senectae  
Exilia (heu magnis quantum libet impia fatis,)  
Nata juvet, Grajusque nepos in regna reponet.

Ceterum *Aectae* nomen oblitteratum est in fr. 10 hujus ipsius fabulae, de quo alias dicitur.

*Periboea* fr. 20:

Corpusque meum tali

Moerore, errore, macore senet.

*Tali* Bothius ex codd. scripsit; vulgo *tabe* legitur. Scripsisse poetam existimo:

Corpusque meum *tabificabile*

Moerore, errore, macore senet.

*Tabificabile* dixit Attius in *Medea* fr. 10, sed alio sensu:

Pernici orbificor liberorum leto tabificabili.

Hic autem significat tabescens, tabidum. Ita luctificabile est non tam *luctuosum*, quam *lugens* in Pacuviano illo apud Persium I, 77:

Sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur

Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.

Ita *monstrificabile* est *monstruosum* in Lucilii versu apud Nonium v. monstr.

Nunc ignobilitas his mirum ac monstrificabile.

### A t t i.

In *Aeneadis* fr. 5. ed. Both. ita legitur:

Et nunc quod eorum segnitas ardet focus.

Quae corrupta esse facile apparet: neque vero Lipsius, qui coniecit: Et nunc, quae eorum segnitas, ardet locus: neque Delrius: Eo n. q. e. segnitate ardet focus, vitium sustulerunt. Poeta scripsisse videtur:

Et nunc quod eorum segnitas *tardet opus*.

*Tardet* ultimam syllabam, cum ictu feriat, productam habet, ut saepissime etiam apud tragicos antiquos factum esse reperimus: quamquam fortasse pro *opus* aliud quid restituendum fuerit.

*Andromeda* fr. 13:

Nec, qui te adjutem, invenio. Hortari piget;

Non prodesse, id pudet.

Legendum potius videtur:

Nec qui te *adjuter*, invenio: Hortari *pudet*:

Non prodesse, id *piget*.

Scripsi *adjuter*, quod versui magis est accommodatum, sive is jambicus, sive creticus sit. Ita etiam Pacuvius hac verbi forma usus est; Nonius v. »Adjutatur pro adjutat. Pacuvius Duloreste:

Illum quaero, qui adjutatur.

Afranius Inimicis:

Haec obsecro igitur agite et me adjutamini.

Lucilius libro XXVII:

Nec si paulo minus usuras et magna adjutatus diu.  
et Pacuvius in Chryse fr. 10:

Adjutamini et defendite.

*Piget* autem et *pudet* omnino transponenda erant: id quod etiam Nouii verba confirmant: »*Pudet* et *piget* hoc distat: *pudet* enim verecundiae est, *piget* poenitentiae.«

*Antigona* fr. 6: Quanto mage te istiusmodi esse intelligo,

Tanto, *Antigona*: mage me par est tibi consulere parcere. Revocanda est librorum scriptura, quam *Bothius* injuria oblitteravit:

Tanto, *Antigona*, mage me par est tibi *consulere et parcere*.

Parcere enim est curam gerere, prospicere: apteque inter se *consulere* et *parcere* copulantur. Plane ita *Afranius* in *Epistola* fr. 9 ed. *Both.*

Nam proba et pudica quod sum, consulo et parco mihi:

Quoniam comparatumst, uno ut simus contentae viro.

*Cicero* *Verrin.* II, 3, 32: Quibus parcere et consulere, homo impurissime, et quod genus hominum studiosissime conservare debuisti. de *Republ.* III, 12: Iustitia autem praecipit parcere omnibus, consulere generi humano. *Catilinar.* IV, 2: Mihi parcere ac de me cogitare desinite. *Verrin.* I, 8, 22: Vos quod ad vestram famam, existimationem, salutemque communem pertinet, iudices, prospicite atque consulite. *Plautus* *Aulularia* II, 1, 11: consulere et monere.

*Armorum Judicio* fr. 5.

Quid est? Cur componere ausis mihi te aut me tibi?

*Bothius*: »Ausis debile est pro tanta magniloquentia: Scribendum ausus: et fortasse est delendum metri gratia.«  
Nulla mutandi est necessitas: modo ita distinguas:

Quid est, cur componere ausis mihi te aut me tibi?

*Ajax* indignatur, quod *Ulysses* ausus fuerit secum de *Achillis* armis contendere: id enim aegerrime tulit: compares *Ovidium* *Metamorph.* L. XIII, 16, ubi *Ajax* ita loquitur:

Praemia magna peti fateor; sed demit honorem

*Aemulus*: *Ajaci* non est tenuisse superbum,

Sit licet hoc ingens, quidquid speravit *Ulysses*.

Iste tulit pretium jam nunc certaminis hujus,

Quo cum victus erit, mecum certasse feretur.

Ex ejusdem Ajacis oratione (Ulyssi tribuit Bothius) est fr. 7 petitem, ubi libenter se cum forti viro contendisse fateatur: a quo etiamsi superatus fuerit, non tamen suo decore spoliatus esset:

Nam tropaeum ferre me a forti viro

Pulcrumst: si autem et vincar, vinci nullumst a tali  
probrum.

Quos versus comparavit Ruhkenius cum illis Velleji verbis L. II, 37, 4: Non esse turpe ab eo vinci, quem vincere esset nefas. Similis sententia est in illo Ovidiano Metamorph.

IX, 5: Nec tam

Turpe fuit vinci, quam contendisse decorum est,

Magnaque dat nobis tantus solatia victor.

Comparandi sunt etiam ejusdem poetae versus ibid. V, 191:

Magna ferēs tacitas solatia mortis ad umbras

A tanto cecidisse viro.

et XII, 80:

Quisquis es, o juvenis, dixit, solamen habeto

Mortis ab Haemonio quod sis jugulatus Achille.

cui simillimum est illud Virgilii Aen. X, 829:

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem,

Aeneae magni dextra cadis.

Statius Theb. IX, 556:

Non inficiamur honorem

Mortis, ait, refer huc oculos, ego vulneris auctor:

Lactus abi, multumque aliis jactantior umbris.

Sophocles Philocteta 336:

Ἄλλ' εὐγενῆς μὲν ὁ κτανὼν τε χῶ θανόν.

*Alhamante* fr. 5:

Beneficii hostimentum peperisti grave.

Ita edidit Bothius: vulgo legitur: Beneficium gravem hostium peperisti et grave. Praeclare Grotius (qui ita scribit:

Beneficiis egregiis hostimentum peperisti grave) restituit hostimentum, quo verbo usus est etiam Ennius in Cresphonte fr. 1 :

Audi atque auditis hostimentum adjungito.

Ita fere Attius scripsisse videtur :

*Meis* beneficiis hostimentum peperisti *gratum et grave*.

Gratum et grave etiam alibi junguntur, ut in Nyctegresia fr. 8:

Id quod facis gratum et grave est.

Plautus in Persa

Si quid bonis

Boni fit, esse idem et grave et gratum solet.

*Atreo* fr. 2 :

Concoquit partem vapore flammam tribuit verubus lacerta in focos.

Quid requiratur, vere perspexit Vossius, cui ita scribendum videbatur :

Concoquit partem vapor

Flammae, lacerta tribuit verubus in foco.

Sed ego Attium ita potius scripsisse crediderim :

Concoquit partem vapor

Flammae, lacerta *stridunt* verubus *in foco*.

Compares, quo modo dirum hoc facinus Atrei describit Seneca in Thyeste 757—68, maxime: stridet in verubus jecur. et de Terei dapibus Ovidius Metamorph. VI, 644:

Vivaque adhuc, animaeque aliquid retinentia membra

Dilantiant: pars inde cavis exsultat ahenis,

Pars verubus stridet: manant penetralia tabo.

*Clytaemnestra* fr. 2 :

Matrem ob jure factum incilas, genitorem injustum adprobas.

Ita Grotius emendavit librorum scripturam: Matre meo jure factum incilas: verissime: nisi quod malim:

*Matrem me* ob jure factum incilas: genitorem injustum adprobas.

Ipsa enim Clytaemnestra his verbis Electram filiam increpat, quod patris memoriam summo amore conservet, matris facinus improbet.

*Deiphobo fr. 2 :*

Eo autem nocte externa retia ut praeveherem et statuerem

Forte aliquanto, solitus, lembo sum progressus longius.

Pro externa alii extrema: praeveherem, alii proveherem; solitus, alii quam solitus. Fragmentum corruptissimum ita est emendandum:

*Ego autem nocte hesternae retia ut proveherem et statuerem*

Forte aliquanto, *quam* solitus, lembo sum progressus longius.

Loquitur autem, ut conjicio, piscator, qui Sinonem in ulva delitescentem repererat. De Siuone aliter refert Virgilius Aen. II, 57, illum ultro se ignotum pastoribus obtulisse. Aliter paulo Quintus Smyrnaeus L. XII, 560 seq. Sed Attius, graeci ut videtur tragici exemplum secutus fecit Sinonem in ulva abstrusum a piscatore protrahi: seque in palude latuisse ipse Sino apud Virgilium v. 154 dicit:

Eripui, fateor, leto me et vincula rupi:

Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva

Delitui, dum vela darent, si forte dedissent.

Attium autem in Deiphobo fecisse Achivos reditum simulantem, Trojanos autem lactos ex urbe proruentes, atque equi lignei molem admirantes, satis certo conjicias ex eo fragmento, quod conservavit Servius ad Virgil. Aen. II, 17: Accius in Deiphobo inscriptum dicit:

Minervae donum armipotenti abeuntes Danaï dicant.

Ita transposui verba pro vulg. Danaï ab: facilius enim hiatus in caesura versus toleratur. Ad Sinonem orationem referendum est fr. 5 longe corruptissimum de Ulyssae et Diomede, ut conjicio; de quo alias plura dicentur.

*Epigonis fr. 12 :*

Manceas ad his ante exilio macte Pelopis externis.

Vossius corruptissima verba ita emendanda censuit. Men-  
eas Adnism ante exilio mactare Pelopiis Ex terris? Bo-  
thius autem: Manceas: alios autem exilio macto ex terris Pe-  
lopiis. Quae conjecturae quantum absint a probabilitatis  
specie, nemo non intelligit. Ita scripserat poeta:

Maneas ad *Glisantem*.

Glisas oppidum fuit Boeotiae, Homerus Iliad. II, 504:

*Οἱ τε Πλάταιαν ἔχον, ἣδ' οἱ Γλίσαντ' ἐνέμοντο.*

Apud illud autem oppidum Epigoni proelium commise-  
runt cum Thebanis, proelioque vicerunt. Pausanias L. IX,  
5, 7. 8, 3. 9, 2.

*Erigona* fr. 2:

Quibus oculis quisquam nostrum poterit illorum obtui  
Voltus, quos jam ab armis anni porcent?

Vix autem reperias quomodo aut a quo haec in Erigona dici  
potuerint, cujus fabulae quod fuerit argumentum, bene per-  
spexit Vossius. Ut ego conjicio, apud Nonium erratum est  
in titulo fabulae: nam pro in Erigona legendum existimo:  
In *Epigonis*:

*Nam* quibus oculis quisquam nostrum poterit illorum  
obtui

Voltus, quos jam ab armis anni porcent?

Recte enim haec conveniunt Thersandro, vel alii cuidam  
duci Argivorum, qui socios de felici belli eventu desperantes  
et redire cupientes monet, ut vereantur reprehensiones viro-  
rum aetate provectorum, quibus non amplius belli participes  
esse liceat.

*Eurysace* fr. 5: Jam potere incipiam, et si nequid  
vi contendam ut hic compotet texum Salaminem habeam. Ne-  
que Grotio neque Bothio emendatio inquinatissimi vitiis fra-  
gmenti satis feliciter cessit. Scripsisse puto tragicum hoc modo:

*Jamjam* petere incipiam, et si *nequidvi*, vi contendam, *uti*  
*Compote tecum* Salaminem habeam.

Simile in ipsa dissimilitudine est fragmentum Pacuvii incert. fabul. 17: Sed cum contendi nequitum vi, clam tendenda est plaga. Colloquitur autem Teucer cum Eurysace, dicens se patrem Telamonem orare velle, sed si non posset orare, aut orando nihil proficeret, vi repetiturum esse aequalem imperii partem cum Eurysace.

*Eurysace* fr. 22:

Illico inquam habitat ovis quam propitius.

Recte Bothius videtur Nonium erroris insimulare, qui doceat hic illico pro illo positum esse: neque enim id comprobant reliqui loci, quibus utitur grammaticus: in omnibus enim significat: in illo loco: etiam in versu Turpili ex Leucadia fr. 12:

Sed quam longe est, cum isti illico?

est: cum isti sint illo in loco. In versu ex Pacuvii Medo fr. 16:

Repudio auspicium, regrediundumst illico.

rectius ipse Nonius interpretatur: statim, mox. Hic versus aperte mancus est: ita autem restituendus esse videtur:

A. Illico, inquam, *abibat quovis gentium*. B. Quam propitius!

Illico est continuo, statim: compares Ennium in Thyesta fr. 10:

Nolite hospites ad me adire: illico istim:

Ne contagio mea bonis umbrave obsit.

quovis gentium abibat aptissimum est. Abbitere dixit Plautus in Rudente III, 4, 72:

Hunc quoque asserva ipsum, ne quo abitat: nam promissimus

Carnufici aut talentum magnum, aut istunc hodie sistere. quovis gentium, ut Attius in Phoenissis

Jussit proficisci exilium quovis gentium,

Ne scelere tuo Thebani vastescant agri.

Terentius in Heautontim. V, 1, 55:

Imo abeat potius malo quovis gentium.

Telamon autem pater, ne tum quidem ira mitigata, qua Teucrum filium propter Ajacis mortem persequeretur, illum in malam rem abire jussit. Tum ille, patris crudelitatem miratus, exclamat: Quam propitius, sive, quod fortasse praestat, quam propitius! Compares Pacuvii Teucrum fr. 15, ubi similiter Telamon Teucrum Troja reversum repellit:

Te repudio, nec recipio: te natum abdicō: facesse.

Ita enim fere cum Mercero legendum est: ita Pacuvius etiam in Atalanta fr. 9. locutus est:

Mortem ostentant, regno expellunt, consanguineam esse abdicant.

*Meleagro* fr. 14:

Regina erit tempus, quum hic torris, quem amburi vides. Verissime monuit Vossius hunc versum ex Meleagro, non ex Melanippo esse depromptum: sed ea quae molitus est Bonthius, prorsus improbanda sunt. Scribendum:

*O regina*, erit tempus, quum hic torris, quem amburi vides —

sententia est imperfecta. Verba autem sunt Parcarum ad Althaeam, Meleagri matrem: neque vero potuerunt Parcae ipsae a poeta loquentes induci in hac fabula, sed fecit Attius chorum, ut conjicio, narrare, quae Parcae dixerint Althaeae, Meleagro nato. Ad eandem fabulae partem referendum existimo etiam fr. 7:

Tum suae vitae finem ac fati interuiccionem fore

Meleagro, cum esset torris interfectus flammeus.

Ex eadem Parcarum oratione petitum videtur id, quod in fabula Euripidis cognomine legitur apud Etymol. M. p. 576, 30:

*Μελέαγρε· μελέαν γάρ ποτ' ἀγρεύσεις ἄγραν.*

ut deae istae praesagae infortunii futuri, illud nomen imposuerint puero recens nato. Ceterum compares Ovidium Metam. VIII, 451:

Stipes erat, quem, cum partus enixa jaceret

Thestias, in flammam triplices posuere sorores,  
 Staminaque impresso fatalia pollice nentes,  
 Tempora, dixerunt, eadem lignoque tibi que,  
 O modo nate, damus.

*Oenomao* fr. 8 :

Atque hanc postremo solis usuram cape.

Scripsisse videtur poeta :

Atque hanc *postremam* solis usuram *rape*.

Et *rape* quidam quodammodo confirmat tragicus, cujus  
 versum servavit Cicero de Orator. L. III, 40 :

Vive Ulixes, dum licet,

Oculis postremum lumen radiatum rape.

Non dixit *cape*, non *pete*: haberet enim moram sperantis,  
 diutius esse victurum, sed *rape*: hoc verbum est ad id ap-  
 tatum, quod ante dixerat, *dum licet*.

*Phoenissis* fr. 6 :

Delubra coelitum, maris sanctitudines.

Ita Scaliger emendavit librorum scripturam: Delubra coeli  
 tu maris s. sed recte Bothius intellexit *maris* sanctitudines  
 ferri non posse: quamquam conjectura ab eo proposita ni-  
 hilo praestantior est. Scripserat Attius:

Delubra, *coelitum aras*, sanctitudines.

Compares Euripidem in *Phoenissis* v. 369 :

*Πολύδακρυς δ' ἀφικόμεην*

*Χρόνιος ἰδὼν μέλαθρα καὶ βωμοὺς θεῶν.*

*Coelitum arae* ut in *Epigonis* fr. 8 :

Nunc pergam, ut supplicii placans coelitum aras expleam.  
 et Seneca Agamemnone 392 loco non dissimili :

Delubra et aras coelitum et patrios lares

Post longa fessus spatia vix credens mihi

Supplex adoro.

*Phoenissis* fr. 8 :

Sol, qui micantem candido curru atque equis

Flammam citatis fervido ardore explicas,

Quianam tam adverso augurio atque inimico omine  
Thebis radiatum lumen ostendis tuum?

Vulgata lectio est *ostendis*, sed cum nonnulli codd. *ostentu*  
exhibeant, Vossius *ostensti*, Bothius *ostentas* legendum puta-  
vit. Sed scribendum est :

Quianam tam adverso augurio atque inimico omine  
Thebis radiatum lumen *ostentum* tuum?

Ostentum antiquiores pro ostensum dixerunt. Pacuvius  
Medo fr. 7 :

Atque ecce in ipso tempore ostentum senem.

Attius Bruto 3, 6 :

Nam id quod de sole ostentumst tibi  
Populo commutationem rerum portendit fore  
Perpropinquam.

Terent. Phormione V, 4, 7 :

Neque me domum nunc reciperem, nisi mi esset spes  
ostenta

Hujusce habendi.

Vid. Eunuch. III, 5, 57 :

An ego occasionem  
Mi ostentam, tantam, tam brevem, tam optatam, tam  
insperatam

Amitterem?

Scripsi Lipsiae M. Decembri MDCCCXXXIII.

Theodorus Bergk.

---